

Primi porro Tractatus, quem hic aggredimur, divisio paucis absolvitur :  
 1°. quidem præmittentur nonnulla, ex quibus Virtutum Theologicarum  
 natura universim cognoscatur : 2°. de objecto Fidei tum materiali tum for-  
 mali agetur : 3°. de ipso Fidei actu et habitu tractabitur : 4°. de Spe disse-  
 retur, ita ut etiam de Timore quædam addere liceat : 5°. denique de Cha-  
 ritate magis necessaria et proficua explicabuntur.

THEOLOGICÆ

VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

## DISPUTATIO I.

### DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS IN GENERE.

#### CAPUT I.

##### DE ENTE, ACTU, ET HABITU SUPERNATURALI.

Quamvis, quæ in Tractatu de Gratia hinc inde hac de materia sparsi-  
 mus, sufficere forsitan pluribus poterant; tamen et usurpata aliis consuetudo  
 et necessitas videntur postulare, ut pauca quædam de Ente, Actu et Habitu  
 supernaturali per distinctas quæstiones ante proferamus, quam de virtuti-  
 bus Theologicis, hoc est, nobilissimis habituum supernaturalium speciebus  
 pronuntiemus.

#### ARTICULUS I.

##### QUID SIT ENS SUPERNATURALE?

1. *Nota I. Supernaturale* vi nominis excellentiam supra naturam denotat :  
 Natura autem hic neque rem quancumque etiam creatam, sed substantiam  
 omnem limitatam, creatam nempe et creabilem significat. Tripliciter a  
 nonnullis *supernaturale* dividitur : 1°. In *supernaturale simpliciter* tale,  
 quod non unam aut alteram sed universam naturam naturatam, seu sub-  
 stantias limitatas omnes excedit : et in *supernaturale secundum quid*, quod  
 unam duntaxat vel alteram naturam supergreditur ; et hinc nomen super-  
 naturalitatis proprie non meretur : 2°. *Supernaturale simpliciter* tale divi-  
 ditur in *absolute ac essentialiter* *supernaturale*, quod convenit soli Deo,  
 cujus excellentia et dignitas omnem naturam excedens illi essentialis est ac  
 imparticipato convenit ; unde Auctor L. de Div. Nom. c. 1. et 2. alibique  
 sæpius Deum ac Deitatem supersubstantialem appellat : et in *supernaturale*  
*participato* atque hinc *accidentaliter* tale, cujus excellentia supra naturam  
 creaturæ congruit : 3°. Postremum hoc aliud est *supernaturale quoad sub-*  
*stantiam*, cujus entitas seu essentia excedit naturam ; uti sunt gratia san-  
 ctificans, lumen gloriæ, unio hypostatica : aliud *supernaturale quoad*  
*modum*, cujus entitas naturam non superat : transgreditur tamen modus  
 quo talis entitas producitur vel acquiritur ; qualia sunt restitutio visus aut  
 recuperatio sanitatis instantanea etc. Nos tamen hic non nisi de supernatu-  
 ralitate simpliciter tali et quoad substantiam agemus.

2. *Nota II.* Qui diversas Auctorum de supernaturalitate entis opiniones aliqua saltem ratione conciliare contendunt, eandem dupliciter, *philosophice* scilicet et *theologice*, spectandam proponunt, aliis ad excellentiam, aliis ad naturam attendentibus. Quatenus enim excellentia comparatur ad naturam et ens supra naturam excellit, dicitur *supernaturale philosophice*; cum hic conceptus sit secundarius et Philosophis duntaxat cognitus: quatenus vero excellentia illa absolute spectatur, et ens in ordine quodam supremo divinæque naturæ propiori constituitur, dicitur *theologice* *supernaturale*; quia hic conceptus primarius est et a Theologis observatus. Si vero supernaturalitas ex naturæ tantum consideratione deducatur, naturam oportet distinguere. Alia enim consideratur, prout præcisè complectitur omnes causas creatas, juxta et per generalem ac ordinariam Dei ut auctoris naturæ concursum, operativas ad felicitatem præcisè naturalem hominis; quem sicut Philosophia naturalis tractat in Ethica, sic ens *philosophice* *supernaturale* dicitur, quod naturæ sic descriptæ vires transcendit: aliter natura concipitur pro aggregato substantiarum creaturarum et creabilium, quarum entitas non est per se connexa cum Deo ut auctore gratiæ ac gloriæ; quidquid ergo per se et ab intrinseco ad auctorem gloriæ pertinet, extra ac supra illam naturam est, ac *supernaturale theologice* tale vocatur, eo quod Theologi præcipue spectant Deum ut gratiæ gloriæque auctorem, et quidquid ad Dei visionem intuitivam conducit. Utriusque considerationis rationem, quantum utile erit, habebimus.

3. *Dico I.* Ens *supernaturale philosophice* spectatum est, quod excedit omnes vires substantiæ limitatæ cujuscumque, atque hinc simpliciter *indebitum* est naturæ.

*Explic.* Vires substantiarum vel sunt activæ vel cognoscitivæ vel exigitivæ; de receptivis seu passivis enim hic non loquimur, cum ex Philosophia supponamus dari non posse potentiam obedientialem passivam. Has omnes excedere debet ens, quod *supernaturale* dicitur: 1º. quidem *activas*, quatenus nulla substantia limitata, viribus propriis et cum solo concursu Dei generali, potest producere ens *supernaturale*: 2º. *cognoscitivas*, quatenus intellectus limitatus viribus propriis ens *supernaturale* non potest quidditative, certo et infallibiliter cognoscere; quandoquidem cognoscibilitas rei quidditativa est proportionata illius entitati, atque hinc sicut entitas sic etiam cognoscibilitas naturam superat: 3º. *exigitivas* tum physice tum moraliter; quatenus nulla substantia limitata potest exigere quid *supernaturale* tanquam *essentiale* vel *proprium* aut *perfectivum* naturale sibi *debitum*: neque ullum naturale meritum aut dispositio proportionem aut exigentiam habet ad præmium *supernaturale*. Inde vero constat, ens quod est *supernaturale*, naturæ nec deberi ut effectum, nec ut objectum cognoscibile, nec ut partem *essentialem* aut *integrale*m, nec ut *connexum* quid aut *præmium*.

*Prob.* Quia dari debet conceptus *conveniens* omni et soli *supernaturali* ad naturam comparato: non autem reperitur *convenientior*, et *convenit* tamen *relata* descriptio imprimis *omni*; ut ex enumeratione entium *supernaturalium* colligere datur: demum etiam *soli*, cum animæ rationali et angelo, qui præcipue opponi possent, non congruat. Animæ enim rationalis productio

dependet a corpore organizzato, tanquam a dispositione positiva et comparte per se naturaliter disposita et requisita ad operationes animæ naturales: angeli vero productio quamvis forte nec ab alio ente naturali aut aggregato entium, nec ab ipsa angeli substantia exigatur; conservatio tamen ab angelo primum existente jure quodam exigitur, atque adeo intra exigentiam naturæ continetur. Accedit, quod angelus sit substantia seu natura; et hinc partim ex ipso conceptu supernaturalitatis excluditur ab ente *supernaturali*: partim quia substantia limitata implicat, ut infra dicitur.

*Conf.* EX SCRIPTURA, CONCILIIIS ET PATRIBUS; quorum auctoritate sicut potissimum niti debemus, ubi sermo est de *supernaturalibus*; sic cum illi loquuntur de donis, quæ *supernaturalia* esse liquet, absolute enuntiant ea viribus naturæ esse *indebita*. V. Tr. de Gratia.

4. *Dico II.* *Supernaturale theologice* spectatum est ens naturæ simpliciter *indebitum*, quod ex intrinseca sua perfectione pertinet ad unionem cum Deo quidditative sumpto.

*Explic.* Deus *quidditative* sumptus est Deus acceptus prout in se est adeoque ut auctor naturæ et gloriæ: unio cum illo possibilis vel est *physica* ac *substantialis* et dicitur unio hypostatica; vel *intentionalis* et *accidentaria* et vocatur beatitudo seu vita æterna per visionem scilicet intuitivam, amorem et gaudium beatificum. Potest autem aliquid ad hanc unionem pertinere vel formaliter ac *identice*, uti sunt ipsa unio hypostatica et fruitio beatifica: vel tanquam principium immediatum, uti est lumen gloriæ: vel tanquam principia mediata, uti sunt Sacramenta, habitus infusi, gratia, actus salutares: vel tanquam effectus, uti sunt dotes gloriöse etc. Cum ergo Deus naturam omnem limitatam excedat, et ut auctor gloriæ et ut in se spectatus, consequens etiam est ut quod ex perfectione sua intrinseca ad eum pertinet ac refertur, superet naturam, ex ejus statu sit elevatum, atque divinæ naturæ propius fiat, seu ut *Auctores sacri* loquuntur, *communicet*.

*Prob.* *Theologice* *supernaturalia* sunt, quæ in sacris Litteris per antonomasiam dicuntur *dona Dei* ad Rom. 5. v. 15. aut *promissa maxima et pretiosa donata*, ut per hæc *efficiamur divinæ consortes naturæ* 2. Pet. 1. v. 4. Item quæ in Conciliis statuuntur talia, sine quibus *bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitari ut expedit, aut eligi nequit*, ut loquitur Can. 7. Conc. Arausicanum II. (Labb. t. 4. p. 1668); vel sine quibus *nemo vitam æternam promereri potest, nec quis credere, sperare, diligere aut panitere potest, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*, ut definit Trid. Sess. 6. Can. 2 et 3. Atqui hæc omnia conveniunt tantum illis, quæ, præterquam quod excedant naturæ vires et naturæ sint simpliciter *indebita*, ex perfectione intrinseca referuntur ad unionem cum Deo quidditative sumpto; ergo.

*Conf.* *Damnata* sunt a pluribus Pontificibus propositiones *Baii* 21. 23. 24. ergo cum ab iisdem Pontificibus contradictoriæ propositiones absolutæ sint definitæ; una definitum aut saltem tanquam verum suppositum fuit, *supernaturale* scilicet *theologice* acceptum esse ens naturæ elevatum, quod, quia exaltat in consortium naturæ divinæ et in filium Dei adoptat, ex perfectione sua refertur ad unionem cum Deo *quidditative* accepto.

3. *Obj. cont. 1<sup>um</sup>.* Si supernaturale constituatur in eo, quod est *naturæ indebitum*, plura naturalia debent admitti tanquam supernaturalia; nam 1<sup>o</sup>. odium Dei non est debitum naturæ: neque 2<sup>o</sup>. bona indoles, acutum ingenium, divitiæ etc. debentur alicui substantiæ creatæ: imo 3<sup>o</sup>. nihil est in hoc universo, quod sit naturæ debitum; cum omnia sint dona Dei et liberaliter ac gratiose a Deo producta.

R. *D. seq.* Si supernaturale statuatur in eo quod est *naturæ indebitum* propter excessum supra vires naturæ, plura etc. *N.* Si in indebito alio quocumque statuatur *C.* unde descendendo ad singulas sequelas,

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. *D.* Odium Dei non est debitum naturæ debito morali *C.* debito physico *subd.* debito necessariæ exigentiæ *C.* positivæ capacitatis et præcontinentiæ *N.* nempe odium Dei non superat vires activas naturæ.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. *D.* Bona indoles etc. nulli in individuo et determinate debentur *C.* nulli indeterminate ac velut vage *N.* Quilibet de se est membrum ordinabile ad rempublicam humanam, ac proin a Deo naturæ auctore ejusque providentia exigit magistratus instructos ejusmodi dotibus ad vitam civilem dirigendam. Præterea cuius determinate debetur existentia causarum naturalium, ex quibus necessario emergunt inæquales corporum dispositiones in aliis et aliis individuis, ac consequenter diversæ indoles, ingenia, vires etc.; quare si ea homini obveniat præcise ex sic constituta a Deo serie et concursu causarum naturalium, non est beneficium distinctum a beneficio creationis et conservationis.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. *D.* Nihil est in universo, quod sit naturæ debitum sine facta suppositione existentiae hujus universi *C.* data hac hypothese *N.* Nam quæ in hoc casu debentur substantiis creatis, naturalia sunt.

*Inst. 1.* Deus ut auctor naturæ potest homini conferre auxilia per se naturalia, sed gratuito, et quin sint naturæ debita. Item auxilia gratiæ *quoad modum* supernaturalia, quæ juxta probabilem dantur ad gravem tentationem superandam vel opus heroicum exercendum, sunt entitative naturalia et naturæ tamen indebita; ergo.

R. *D.* Potest Deus ea conferre gratuito, et quin sint naturæ tam existenti quam possibili debita *N.* quin sint debita quidem huic vel illi existenti, debita tamen esse possint alteri existenti aut possibili *C.* Nisi enim auxilium sit supernaturale *quoad substantiam*, semper habetur de facto aut saltem possibilis est creatura tam imperfecta vel perfecta, cui illud connaturaliter debeatur. Eadem responsio est de auxilio *quoad modum* supernaturali, quod licet secundum modum seu gradum intensionis nulli creaturæ debeatur, existenti tamen alteri aut possibili deberi potest quoad perfectionem essentialem et entitativam, secundum quam plane non excedit vires cognoscitivas naturæ.

*Inst. 2.* Habitus aut species rememorativæ, ex actibus supernaturalibus relictæ, secundum communiorem sunt naturales; et tamen tum exigunt prædictos supernaturales actus; quia omnis effectus suam causam exigit: tum non exiguntur ab ulla substantia creata; ergo nec supernaturale est, quod excedit exigentiam naturæ: nec naturale ex opposito est, quod exigitur a natura.

R. *Ad 1<sup>um</sup>.* *N. prob. D.* Omnis effectus exigit suam causam exigentia negativa seu non repugnantia *C.* positiva seu necessariæ connexionis *subd.* si

effectus est in eodem ordine cum causa *C.* si est ordinis inferioris *N.* Habitus naturales acquisiti *per se* solum exigunt actus naturales pro sua causa, licet *per accidens* possint etiam produci per actus entitative supernaturales; ubi præterea observandum est, dependentiam effectus a causa qua talem esse dependentiam puræ indigentia, adeoque non exigere ut effectus cum sua causa sit ejusdem ordinis in perfectione.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. *N.* Ex supposito enim quod homo elicuerit illos actus, debetur ipsi naturæ humanæ jus et facultas reminiscendi eorum; unde species rememorativæ, in quibus probabiliter habitus acquisiti consistunt, exiguntur a substantia actus supernaturales elicente.

*Inst. 3.* Omne accidens dicit ordinem naturalem ad aliquod subjectum; ergo si supernaturale excedit omnes etiam vires exigitivas substantiæ creabilis, non dabitur accidens simpliciter supernaturale.

R. *N. cons.* Probas enim quod omne accidens exigit inhærere alicui substantiæ tanquam subjecto capaci: non autem, de quo tamen quæritur, quod nullum sit accidens quod non exigatur a substantia limitata; quia supernaturale est quod est supra substantiæ omnis, non autem accidentis, exigentiam. Itaque potius adverte quod, quia omne accidens ex natura sua ordinatur ad perfectionem aliquam substantiæ tanquam subjecto capaci tribuendam, illud sit connaturale quod est natum tribuere perfectionem, quæ debita est substantiæ et ab hac exigitur: supernaturale autem sit quod tribuit perfectionem, quæ substantiæ non debetur, nec ab ea exigitur aut exigi potest.

6. *Obj. cont. 2<sup>um</sup>.* Possunt dari entia quoad substantiam naturalia, quæ tamen pertineant ad Deum *quidditative* acceptum: et e contrario dari entia quoad substantiam supernaturalia, quæ non pertineant ad Deum *quidditative* sumptum; ergo descriptio entis theologice supernaturalis non est legitima.

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars Ant. 1<sup>o</sup>.* Si videns Deum ex parte voluntatis non haberet comprincipium supernaturale, posset haberi amor Dei *quidditative* accepti, qui tamen intrinsece et quoad substantiam foret naturalis. 2<sup>o</sup>. Habitus ex actibus supernaturalibus relictis permittuntur naturales et tamen active habilitant potentiam ad actus supernaturales; atque hinc per modum principii mediati pertinent ad Deum *quidditative* acceptum.

*Prob. 2<sup>a</sup>. pars. 1<sup>o</sup>.* Accidentia sine subjecto existentia, frigus a calore productum, resuscitatio mortuorum sunt, aut, si fierent, forent accidentia supernaturalia, quin tamen pertineant aut pertinere ex natura sua debeant ad Deum. 2<sup>o</sup>. Potest Deus efficere accidentia supernaturalia quoad substantiam, quæ essent tantum destinata creaturæ irrationali, uti fuit virtus præservativa a morte, in arbore vitæ residens.

R. *N. utramque part. Ant. Ad 1<sup>o</sup>. part. prob. 1<sup>um</sup>.* R. Vel ille amor non est naturalis; quia in tali casu voluntas per lumen gloriæ et visionem intuitivam esset indirecte aut *identice* elevata, adeo ut cum his, defectum principii proprii suppletibus, voluntas produceret amorem supernaturalem quoad substantiam: vel hoc transmissio *D.* posset haberi amor cum Deo *quidditative* sumpto per accidens et ratione supernaturalis cogni-

tionis tantum connexus *C.* per se et ratione suæ perfectionis aut voluntatis nude sumptæ connexus *N.*

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* *R. D.* Habitus illi naturales absolute ac per se habitant potentiam ad actus supernaturales *N.* ex supposito elevationis indirectæ, ab actibus infusis aut gratia actuali provenientis, et sic per accidens *C.* Habitus autem naturalis potest obedientialiter concurrere cum auxilio supernaturali ad actus supernaturales æque ac ipsa potentia vitalis: et gratia vel habitus supernaturalis utrumque complere potest ac elevare; quin unum præ altero dicatur principium mediatum per se pertinens ad Deum *quidditative* acceptum.

*Ad 2<sup>am</sup> part. prob. 1<sup>am</sup>.* *R. D.* Hæc assignata essent supernaturalia *quoad modum*, seu præternaturalia, contranaturalia, aut miraculosa *C.* essent proprie et quoad substantiam supernaturalia, seu quorum entitas excedat omnes vires naturæ *N.* De *resuscitatione* vid. Tract. de Grat. n. 169. resp. ad 8<sup>am</sup>. *inst.*

*Ad prob. 2<sup>am</sup>.* *N. Ass.* Nam eo ipso quod hujusmodi accidentia soli naturæ irrationali forent propria, nulloque modo pertinerent ad unionem cum Deo, amitterent fundamentum supernaturalitatis etiam *philosophicæ* acceptæ quoad substantiam. Ex eo enim quod ens dicat per se relationem ad Deum *quidditative* acceptum, intelligitur habere participationem aliquam naturæ divinæ, et esse in ordine superiore, elevato atque transcendente naturam; inde vero consequens est, ut et naturæ vires excedat, et illi sit indebitum. Sicut enim radix metaphysica et ratio primaria, cur creaturæ rationali non sit debita unio cum Deo, assignatur ista: quia creatura ab intrinseco est serva Dei; ita radicalis et primaria ratio, cur v. g. dona gratiæ sint indebita creaturæ intellectivæ, bene assignatur hæc: quia per se et ex intrinseca perfectione sunt connexa cum unione ad Deum, scilicet *quidditative* acceptum. Quod virtutem præservativam a morte in ligno vitæ attinet, eum supernaturalem *quoad substantiam* fuisse negamus ex dictis; aut referimus ad rationem supernaturalitatis eo modo, quo dona gloriosa illuc referenda diximus.

*Inst.* Quælibet substantia intellectualis creata connectitur cum gratia sanctificante; quia est subjectum gratiæ. Hinc etiam S. AUG. L. de prædest. Sanct. c. 5. n. 10. loquens de gratia et actu fidei ait: *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratiæ, est fidelium.* Quis vero dicet omnem substantiam rationalem esse supernaturalem? *Conf.* Sacramenta quoad entitatem sunt actiones et verba naturalia: character autem sacramentalis nihil pertinet ad unionem cum Deo; et tamen utrumque habetur supernaturale; ergo.

*R. N. Ass.* Ratio adjecta probat quidem gratiam habere connexionem cum creatura rationali tanquam accidens cum subjecto, et angelum vel hominem esse capacem gratiæ accipiendæ; non autem probat creaturam esse connexam cum gratia, aut illam habere exigentiam sive physicam in propria natura fundatam, sive moralem ex merito aliquo naturali ortam. Jam vero capacitas illa prior dicit solam potentiam passivam, ab extrinseco receptivam alicujus perfectionis etiam indebitæ, quod omnino concedimus, et S. AUG. etiam primo commate significatum voluit: exigentia autem posterior denotat aliquod jus activum in exigente talem perfectionem tanquam

sibi debitam, et hoc negamus, negavitque S. Doctor contra *Pelagianos* in commate sequente.

*Ad Conf. Quoad 1<sup>am</sup>.* *R. D.* Sacramentum quoad suum materiale ac physicum est quid supernaturale *N.* quoad suum esse formale ac morale *C.* Si spectetur *materialiter* et *physice*, nihil habet nisi actiones naturales et verborum formulam secundum institutionem humanam: si vero spectetur *moraliter* et secundum *formam*, quam habet ex institutione Christi, signum et causa est gratiæ, ac proin quid proprie ac theologice supernaturale.

*Quoad 2<sup>am</sup>.* *R. N. Ass.* Quamvis enim character sacramentalis non sit medium ad salutem obtinendam *per se* conducens, nec constituat hominem in ordine supernaturali aut ad supernaturaliter operandum juvet; pertinet tamen ad unionem cum Deo, eo quod sit velut proprietas et effectus secundarius proprius trium Sacramentorum, cum quorum uno connectitur tanquam cum sua causa illum *absolute* exigente et *per se* ad salutem conducente, si ex parte suscipientis non ponatur obex: unde eundem esse supernaturalem liquet.

QUÆRES: *An possibilis sit substantia supernaturalis?*

7. *Nota.* Sensus hujus quæstionis quoque, secundum Auctores nobis contrarios, est: *num possibilis sit creatura rationalis, cui gratia sanctificans, lumen gloriæ, visio intuitiva essentiæ divinæ, aliaque hujusmodi dona, que gratiam sanctificantem connaturaliter præsupponunt et consequuntur, sint connaturaliter seu ex ipsis naturæ principis debita*, sicut igni v. g. debetur calor, et homini visus, aliaque potentiæ et proprietates, sine quibus non homo, sed monstrum hominis foret? Negativam tenent Antiquiores pariter ac Recentiores contra Molinam, Valentiam et paucos alios, quos refert ac sequitur Ripalda.

8. *Dico.* Repugnat substantia *intrinsece* supernaturalis, seu creatura rationalis, cui ex intrinsecis naturæ principis *connaturaliter* debita sit gratia sanctificans, lumen gloriæ et visio beatifica.

*Prob.* Ex auctoritate PATRUM, qui tanta universalitate de superioritate gratiæ respectu creaturæ rationalis loquuntur, ut omnes prorsus creaturas rationales etiam absolute possibles complecti videantur; et, cum non adsit ulla ratio efficax aliter eos interpretandi, eo sensu accipiendi sunt quem verba præferunt. Juvat aliquorum duntaxat testimonia referre, et inde arguere.

S. CYRILLUS ALEX. in Joann. L. 1. (opp. t. 4. p. 91. C.) sic loquitur: *Igitur ad dignitatem supernaturalem ascendimus per Christum, veruntamen non sicut ille, nullo plane discrimine nos quoque futuri sumus filii Dei, sed ad ejus similitudinem, per gratiam.* Censet itaque, nullam creaturam puram esse posse Dei filiam, nisi per gratiam. Sed creatura, cui gratia sanctificans foret connaturalis, non esset filia Dei per gratiam, sed connaturaliter. Addit ibidem: *Est enim verus ille Filius existens a Patre, sed nos ejus benignitate adoptivi; gratiæ loco id accipientes, Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Atqui substantia, cui connaturaliter debita esset adoptio, non posset dici misericordia Dei adoptata per gratiam, sed per naturam: Denique concludit: *Creata quippe et serva natura ad supernaturalia vocatur solo nutu et voluntate Patris.* Atqui de creatura quacumque possibili verum manet, quod sit serva

Dei; ergo nutu solum et voluntate Patris ad supernaturalia vocatur; ergo non ex ipsius naturæ conditione atque exigentia illi debita habet supernaturalitatem. Simile argumentum formatur ex S. Aug. L. 12. de Civ. c. 1. n. 2. scribentē: *Quamvis non omnis beata possit esse creatura..... ea tamen, quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est.* Nam quæcumque etiam creatura rationalis possibilis ex nihilo creari debet; ergo ex se, hoc est, ex sua natura vel connaturali exigentia nequit esse beata.

S. DIONYSIUS seu Auctor L. de Ecclesiast. Hierarch. c. 2. part. 1. §. 2. hæc enuntiat: *Cum enim divinus hic status sit quedam nativitas divina, nunquam sane intellexerit, nedum fecerit, quidquam rerum divinitus traditarum, cui ne ipse quidem status hic divinitus afflatus sit.* Ex quo constat, dona supernaturalia dici oportere ordinis divini. Sed supposita possibilitate creaturæ *intrinsece* supernaturalis, dona supernaturalia non recte dici queunt ordinis divini; quia hujus ordinis participatio illis nequit congruere, nisi conceptus hujus ordinis, specificæ, individualiter et ultimo conveniens Deo, ipsi soli conveniat *connaturaliter*. Nam nequeunt dici ordinis divini ex eo, quod habere proportionem ad fruendum Deo, esse filium Dei, videre Deum, sint prædicata soli creaturæ convenientia, ut per se patet: neque ex eo quod hæc convenientiam creaturæ simul et Deo; nam vivere, cognoscere et amare Deum aliaque hujusmodi etiam conveniunt utrique, quin tamen ea quis inde dixerit ordinis divini: neque ex eo quod hæc soli Deo convenient; cum enim angeli videant Deum sicuti est, et Deus hominibus dederit potestatem, *filios Dei fieri*, falsum id esse liquet. Superest ergo, ut ideo solum dicantur ordinis divini; quia secundum illos conceptus abstractos soli Deo *connaturaliter* debentur, non autem creaturæ ulli possibili.

*Conf.* Ex variis *absurdis*, quæ ex opposita sententia sequerentur. Sequitur enim 1°. possibilem etiam fore creaturam, cui *connaturaliter* debita sit unio hypostatica cum divina Persona: 2°. possibilem esse creaturam ex natura sua impeccabilem: 3°. possibilem esse creaturam natura seu naturaliter filiam Dei adoptivam etc.

9. *Nec dicas* 1°. Standum est pro divina omnipotentia, quamdiu non ostenditur clare et positive contradictio; qualis hic ostendi nequit. 2°. Complexum ex intellectu creato et lumine gloriæ non est tantæ perfectionis, ut nequeat dari creatura æque perfecta vel etiam perfectior. 3°. Dantur accidentia supernaturalia; ergo et possibilis est substantia supernaturalis.

R. *ad* 1<sup>um</sup>. *Nego* non intercedere contradictionem, quæ ex ipsa essentia substantiæ creatæ, ratione supernaturalitatis, et absurdis satis ostensa fuit.

R. *ad* 2<sup>um</sup>. Si creatura æque perfecta aut perfectior eo præcise titulo intelligatur, quod habeat perfectius lumen gloriæ, conceditur ejus possibilitas: quia certum est, secundum mensuram luminis gloriæ beatum unum perfectiorem esse altero, et visionem Dei esse inæqualem: Si autem intelligatur perfectior eo titulo, quod illi potestas videndi Deum sit connaturalis, negatur a nobis ejus possibilitas *ex sup. dictis*. Præterea, quamvis in genere judicemus aliquid possibile ex illo generali principio, quod Deus possit quid facere ultra, quam homo cogitando ascendere queat; tamen nullius entis supernaturalis possibilitatem in particulari certo cognoscere aliter possumus, quam ex fide aut ejus principiis; quæ sicut stant pro

complexo ex intellectu creato et lumine gloriæ, sic pro alio perfectiore secundum oppositum certe sensum non habentur.

Idem R. *ad* 3<sup>um</sup>. A posteriori enim constat possibilitas *accidentium* supernaturalium, quia eorum existentia habetur ex revelatione divina. *Substantiæ* possibilitas nec a posteriori potest ostendi, nec a priori sustineri ob rationes datas.

## ARTICULUS II.

## AN ET UNDE ACTUS SALUTARES SINT ENTITATIVE SUPERNATURALES?

10. *Nota.* Habitus infusus tum præsentis viæ tum patriæ, actus item visionis ac fruitionis beatificæ, supernaturales esse in *substantia*, communis est sententia. Controversia est de actibus salutaribus, qui habentur in via, fidei scilicet, spei, charitatis, pœnitentiæ, et similibus factis, *prout oportet*, ad salutem vel gratiam justificationis consequendam; *Scotistis* nempe et quibusdam aliis eos tantum supernaturales *quoad modum* asserentibus, *Thomistis* vero et plerisque aliis supernaturalitatem *quoad substantiam* illis vindicantibus.

11. *Dico* I. Actus salutare sunt entitative et quoad substantiam supernaturales.

*Prob.* Non tantum *finis*, ad quem hi actus ut media ordinantur, sed etiam *principia*, quibus ad illos efficiendos potentes reddimur; sunt *quoad substantiam* supernaturalia; ergo etiam ipsi actus sunt tales. *Antecedens* quoad *finem* est certum; ordinantur enim proxime ad gratiam justificantem, qua divinæ efficimur consortes naturæ: remote ad æternam beatitudinem visione intuitiva consequendam; quem utrumque finem entitative supernaturalem esse nec ab Auctoribus hic oppositis negatur, nec dubitari potest ex dictis alibi contra *Baium*. Quoad *principia* autem constat ex eo, quia ad actus salutare efficiendos dantur habitus virtutum per se infusi, et in eorum defectu aliud auxilium gratiæ effectivum: habitus autem infusus entitative supernaturales esse supponitur, et gratiam similiter supernaturalem esse, probatum est in Tr. de Gr. Ergo. *Consequens* liquet ex eo quod media servant proportionem cum fine, ad quem ut media ordinantur; sicut principia cum effectibus, propter quos dantur.

*Conf.* Concilia et Patres, ut videre est in Tr. de Gr., contra *Pelagium* constanter docent, gratiam divinam requiri, non solum ut facilius, sed ut simpliciter et absolute possimus actus salutare efficere. Vel ergo censent gratiam necessariam ad efficiendam ipsam actus substantiam, vel non: Si *primum*; sequitur manifeste nostra conclusio; cum ideo requiratur gratiæ virtus, quia per solas naturæ vires actus fieri nequit: et consequenter non est naturalis quoad substantiam: Si *secundum*; evidenter nimium tribuitur naturæ contra doctrinam Conciliorum et Patrum, quæ commodam interpretationem ægre sustinet. Qua enim specie tanta habituum et donorum necessitas explicari poterit de *modo* duntaxat supernaturalitatis? cum nec *modi* hujus quidditas, utilitas ac necessitas bene exponi queat.